

### Aristotelis mendacium de ideis [in margine]

Timaeus Locrus Pythagoreus<sup>i</sup> libello De mundi anima ac natura statim ab initio:<sup>3</sup> *Universa vero <tria>: ideam, materiam sensibileque velut proles ex his. Ideamque declarans:*<sup>4</sup> *Et hoc quidem esse ingenitum et immobile et manens et natura eiusdem intelligibileque et exemplum generatorum quaecumque in mutatione sunt. Tale quippiam ideam et dici et intelligi.* Et post materiae explicationem:<sup>5</sup> *Duo ergo haec principia sunt, quarum forma rationem habet maris et patris.* Et mox:<sup>6</sup> *Tria cum sint, tribus cognosci. Ideam quidem intellectu per scientiam.* Deinde:<sup>7</sup> *Antequam fieret coelum verbo, erant idea et materia.* Clarissima hic ideae toties fit mentio.

Quibus duplicis mendacii Aristoteles convincitur in verbis superius allatis: alterius, quod dicat Pythagoreos ideas ignorasse; alterius, quod Plato primus eas excogitarit. Nemo enim est in Historia antiquorum sapientium ita parum versatus, qui ignoret Timaeum Pythagoreum fuisse et Platone antiquorem, sed hoc idearum commune Pythagoreorum dogma fuit, attestante id Iamblichio in Pythagoreorum mathematis exponendis; adducit ibi Brotini<sup>ii</sup> verba haec, unde Brotinus in libro *De mente et cogitatu* separans ipsa ad invicem: haec inquit, cogitativa mente minus

<sup>3</sup> τὰ δὲ σύμπαντα {τοία}, ιδέαν, ὕλαν, αἰσθητὸν τὸ οἶον ἔγγονον [ἔκγονον] τουτέων. [TI. LOCR. Fragm. 205.9 – 10]

<sup>4</sup> καὶ τὰν [τὸ] μὲν εἴμεν {ἀεὶ}, ἀγέννατον {τε} καὶ ἀκίνατον, ἀμέριστόν τε [καὶ μένοντε] καὶ τὰς ταῦτα φύσιος, νοοτάν [νοοτόν] τε καὶ παράδειγμα τῶν γεννωμένων [γενομένων], ὄκόσα ἐν μεταβολῇ ἐντι τοιοῦτον γάρ τι τὰν ιδέαν λέγεσθαι τε καὶ νοῆσθαι [νοεῖσθαι]. [TI. LOCR. Fragm. 205.10 – 13]

<sup>5</sup> δύο ὅν αἵδε ἀρχαί ἐντι, ὅν [ῶν] τὸ μὲν εἶδος λόγον ἔχει ἀρχενός τε καὶ πατρός. [TI. LOCR. Fragm. 206.5 – 6]

<sup>6</sup> τοία δ' ὄντα τρισὶ γνωρίζεσθαι, τὰν μὲν ιδέαν νόῳ κατ' ἐπιστάμαν. [TI. LOCR. Fragm. 206.7 – 8]

<sup>7</sup> ποὺν ὅν [ᾶν] ὠρανὸν γενέσθαι λόγῳ ἥστην ιδέα τε καὶ ὕλα. [TI. LOCR. Fragm. 206.11]

<sup>i</sup> Corr. ex Pythagoreos

<sup>ii</sup> Uz oblik Brotinus koji rabi Petrić u literaturi se nalazi i oblik Βροντῖνος.